

[56r]

DIVUS JOANNES NEPOMUCENUS
patiendo Martyr gloriosissimus

A media classe grammatices Hradistii cothurnum induta
 pro scena exhibitus anno 1729, die 21. Martii

ARGUMENTUM

Veritatis fideique integerrimus cultor D. Joannes Nepomucenus subinde ab Joanna (Petatem substituimus) conscientiae electus arbiter; dum sacrosanctum confessionis sigillum Wenceslao perurgente violare renuit, ad hoc violandum prius fortunae bonis, minis, tandem et catastis solicitus. Neque illis corruptus, nec istis etiam deterritus, manibus pedibusque vinctus, ex ponte Prageno in subjectum flumen Moldavae dejicitur. Continuatores Bollandi, 16. Maji, t. 3.^a

PROLUSIO

Spectandum proponit hosticos inter saevaे Tyrannidis insultus inexpugnabile Fidei scutum.

INDUCTIO I.

Joanna crudelitate Wenceslai porrita uni se Deo totam devovere statuit.^b

| | |
|---------|---|
| Joanna: | Qvis ^c rotat mundum furor? Qvae forma rerum? Qvis praeit mundi status? Ubi sum? Benignitas Dei! O magnus favor! Proh! Video, totus orbis incaute vafris |
|---------|---|

Inductio I. Joanna crudelitate Wenceslai porrita uni se Deo totam devovere statuit.] add. m2.
 1 in initio om. Etiam catastas.

^a Balbinus: *Acta Sanctorum*.

^b Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 670: *Regina, Wenceslai quotidianis sceleribus offensa, cum nullum amplius ex rebus humanis solatium caperet neque per mariti suspiciosos oculos capere posset, crudelitatem ejus perhorrescens (maxime quod etiam mensam dapesque regias, caedibus procerum et sanguine respurgere pro deliciis et bellariis habebat), quod tutissimum videbatur, omnem mundi amorem abjicere unique se Deo totam (quantum vita conjugalis sineret) donare constituit.*

^c Na začátku prvního verše vloženo spojení *Etiam catastas* („dokonce i mučidla“), které významově do královna monologu nepatří, avšak metricky by bez něj byl první verš neúplný. Zřejmě jde o poslední verš předehry, ježíž kompletní znění nebylo do textu hry začleněno.

5 Ludit figuris! Aula formidabilis
 Jacet in profundo Tartari, jacet specu!
 [56v] Hic horror, illinc noctis aeternae pavor
 Aulae pererrant limina. O teturum chaos!
 10 Rex probra quaerit, scelere contaminans libram
 Judex iniquus; neque reum pro se loqui
 Patitur. Averni turbo! Furiarum nepos!
 Siccine tyranni jam notum impietas probat
 Piaculum? Est, est dignus is flamma, rogo
 Praecepis in iras animus. En totam expedit
 15 Domum nefandam flamma crudelis, Ducas
 Regisqve magna plectere deinceps probra,
 Astraea statuens. O nefas! Lentas nimis
 In funera manus!^d Sceleris immensi ream
 Dolebit umbram. Tale qvis regno ferat
 20 Praeesse monstrum? Fata subditus ingemes,
 Aeternitatis colligens certe vices.
 Regni Procrustes! Ah! Tuae potius modo
 Prospice saluti, si Deum, lacrymas, preces,
 Si jura temnas; justus est Vindex Deus,
 25 Laturus olim in impios paenas graves.
 Aliter ego dein, quamdiu Numen vocat,
 Discam periclo sapere. Regis non vacat
 Ultra nefandum cernere imperii probrum,
 Cruore sanqvisuga regni pascitur.
 30 Et hunc tyrannus, Caelites testes voco,
 Adhuc sitire dicitur. Qvos, eheu,
 Et qvanta in urbe pauperes nostri ferunt
 Lamenta? Clament jura, justitiam invocant
 Proceres, et aula misericordiam negat.
 35 Severus astat ubiqve vindictae arbiter.
 Regi fidelis, o pudor, fit carnifex
 [57r] Socius, patrinus! Conjugum clamant thori
 Milleqve precantur, mille qvin pariter neces
 Ignesqve Averni devovet totus suo
 40 Populus tyranno. Non decet sanqvine manus
 Maculare proprias. Caelitum imploro
 Opem, placebit jam mihi soli dein

22 Procrustes] Proctuses *DJM*.

29 sanqvisuga] sanqvi sua *DJM*.

^d Cf. *Theoctistus*, v. 194–196: *O nefas! / Frater, quis iste caedis accitae furor? / Quis destinatam funeri avertit manum?*

45

Vacare viro Numini et aulae procul
 A scelere, fastu ac turbine, affectu integro
 Uni sacratum ducere imperium Polo.

INDUCTIO II.

Unde^e D. Joannes Nepomucenus vitae Magister et a secretis conscientiae arbiter ejusdem deligitur.^f

| | | |
|-------|------------------------|--|
| | [Joanna]: ^g | Joanna, tandem consulas semel, tuae Oportet animae; tempus est, limen subi, Documenta sacra, et quidquid e Caelo venit, Haustura. Sed quis conscientiam reget Arbiter, ut absque devio incedam via Plana salutis? Qvis sacrum judex mihi Erit ad tribunal? Qvisqvis ille sit, dolens Carmen Davidis occinam, cunctos mei Pandam reatus cordis. At vices tamen Dei aget Joannes, conscientiae meae Rector futurus. Ergo sit ocyus, precor! Adesseque aveo conscientiae arbitrum Ipsum Joannem, ad saniora qui excitet Vitareque mala doceat. Arrodit meas Noctu diuque carnifex saevus fibras, Ubi malorum conscia meorum fero Peccantis onus; at pondus excutio. Huc ades, Theotime? Quid, nemo paret? Heus, Theotime, ubi es? Theotime? |
| 50 | | |
| 55 | | |
| 60 | | |
| [57v] | | |
| | Theotimus: | Praesto nutibus sistor tuis Theotimus, an quid imperas? Promptus tua Imperia famulus exeqvor. |
| 65 | | |
| | Joanna: | Id unum placet Statuoque, nostrae conscientiae arbiter Adsit Joannes. |
| | Theotimus: | Qvod jubes, ago. |

⁶² at] a.. *DJM*, corr. *m2*.

⁶³ Theotime] Thotime *DJM*.

⁶⁴ Theotimus] Th. add. *m2*; *nomina omnium personarum – exceptis Joanna (v. 1) et Pietate (v. 159) – add. m2*.

^e Navazuje na úvod k 1. scéně.

^f Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 670: *Itaque Imperatrix, Joanna nomine, Alberti Bavariae Ducus et Hollandiae Comitis filia, matrona candore animi, morum innocentia, pietate ac ceteris Reginarum virtutibus spectatissima, quae B. Joannis sacra dictione mirum in modum tenebatur et validissime ad omnem virtutem incitari se sentiebat, hunc sibi conscientiae suae arbitrum, hunc vitae magistrum, hunc patrem de legit.*

^g Název postavy doplněn podle kontextu – pokračuje monolog královny z první scény.

- Joanna: Impudens
 70 Ego! Restat hoc unum, vacem perdita meae
 Ovis saluti, lacrymas inter preces
 Miscere modicas liceat. Ah, liceat, pio
 Exopto pectore! Unicum posthac meum
 Erit hoc levamen. Regis haec impia diu
 Displicuit anima, sed frui nusquam est datum
 75 Occasione commoda, soli licet
 Vacare vellem Numini. En, adest meae
 Ipsus Joannes conscientiae arbiter.
- O ades, Sacerdos sancte! Da, tuis feram
 Ego mille plantis oscula.
 Joannes: Absit hoc, rogo.
 80 Uterque trahimus svave sub Christo jugum,
 Propior castris tu per aerumnas, Deus
 Qvam lassat ultro perqve victrices agit
 Palmas ad arces Caelitum. Imperium, vides,
 Adsum Sacerdos.
- Joanna: Charus o Superum favor!
 85 Sacrate Christi serve, Czechorum decus,
 Ades! Referri vota si mentis qveant,
 Vicem rependo. Pauperum clamant nimis
 Urgentqve lacrymae, mille conjiciunt malis
 Justamqve sanqvis innocentum provocat
 90 Themidem. Cruentus excutit legem furor.
 Hoc tolle probrum, qva licet, non qva libet
 Regibus eundum. Tu ergo, qva lubet, meos
 Inflecte sensus, sana meditari doce.
 Incurrit atram stirpis infamis notam
 95 Tyrannus et Tonantis iram posthabet.
 [58r] Ego nefanda Principis fletu eluam
 Piacula, simul pauperum adjuta lacrymis,
 Summum precabor Numen, ut patriae latro
 In tempore sapiat; et meae vitae dies
 100 Reliqvos cubili inclusa sacrabo Deo.
 Agas proinde patriae zelo, meae
 Prospice saluti, pro Dei cultu sacer

72 Unicum] uni... *DJM*, corr. *m2*.

80 trahimus] ..ahimus *DJM*, corr. *m2*.

86 Referri] referre *DJM*.

91 non] nos *DJM*, corr. *m2*.

97 adjuta] adjuncta *DJM*, corr. *m2*.

- Eclesiastes. Vota si ignoras, vide,
Haec sunt Joannae.
- 105 Joannes: Regis aspectum horreo.
 Furorne Regem traxit in rabiem, scelus
 Qvod cumulet effrons scelere? Proh! Metuo, Deus
 Ne forte Regis improbam plectat animam
 Ejus ferendo crimina. Suam hebetat prope
 Caligo mentem. Summus est qvidem dolor
 110 Regem tyrannum cernere et dulce admodum
 Est sub benigno vivere. Ad Caelum tamen
 Utrumque, gaudium, cruces juvant. Viam
 Animaiae illa Martyrum, ista Confessorum agit
 Semper securam. Spondeo, modo prius
 115 Omnem notatum paenitens naevum eluas,
 Numen benignum senties.
- Joanna: Me consecro
 Regi Supremo te arbitro. Dixi, pie
 Soli placere cupio Regi Ipsi Deo.
 Totam, Joannes, conscientiam tibi
 120 Aperio, qvam tu solus arbiter reges.

INDUCTIO III.

Haec inter incessit sacrilegum Regem cupidio percontandi de Joanna, qvidnam expianda conscientiae causa arbitro suo aperiret.^h

- [58v] [Imperator]: Ignescit ira et ossibus duris dolor
 Fluctuat. Amarus crescit hic irae furor.
 Cor fervet intus, rumor aspectu impotens.ⁱ
 Unde ista rerum tristis expendit modus?
 125 Nuper Sacerdos, non latet, qvo nescio
 Pacto, Joannae paenitenti aurem dedit.
 Hinc jure qvaedam non levis tangit meum
 Suspicio pectus. Jura premere fors pede

¹⁰⁷ improbam] improbam *DJM*, corr. *m2*.

¹¹¹ benigno] benegno *DJM*, corr. *m2*.

¹²¹ Ignescit] Ig nescit *DJM*.

^h Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 670–671: *Incessit deinde libidinosum et ex libidine furiosum Regem*
cupido, si quo pacto rescire posset, quid Regina ad Sacerdotem expiandum afferret, quas praecipue noxas
haberet, quid de marito unquam cogitaret, an quem alium amaret aliaque hujusmodi, quae sibi stulta
tyrannis, amore accensa et suspicionibus cincta, potest et solet configere. Sed haec ab ipsa Regina interro-
gando exprimere frustaneum erat.

ⁱ Cf. *Theoctistus*, v. 945–946: *Rumor aspectu impotens, / Cor fervet intus.*

- Regis protervo docuit aut omnem sibi
 130 Tolli voluptam,^j jure qvae Reges decet.
 Fidelitatem praestat experiar suam,
 Fors hanc Joanna somnii abstergit notam;
 Parebit illa Caesari et vertet gravem
 Regis furorem. Siluit? Omnem Caesaris
 135 Misit favorem. Chara nunc adsit volo
 Conjux, amatum deferet spero meae
 Menti levamen.
- Eph[ebus]:^k Caesar, en praesto advolat
 Regina.
- Imperator: Vive, cordis unicum mei
 Solamen.
- Joanna: Et tu, portio cordis mei,
 140 Vive, Imperator.
- Imperator: Vive mutuo mei
 Amore. Mirum! Gaudio exsiliunt fibrae.
 Te hic adstite,^l tuo totus aspectu beor,
 Joanna. Medium Caesar imperium lubens,
 Petis, dabo. Vereris? Meum qvidqvad vides,
 145 Tibi subesse sentias. Unum est tamen,
 Est, qvod dolorem Caesari in fibris creat,
 Fari sed ultra prohibet.
- Joanna: Augusto licet
 Si qvo mederi, grande curarum reor
 Id fore levamen. Qvaeso regalem sinum
 150 Qvis turbo variat?
- Imperator: Prohibet, ut dixi, dolor.
- [59r] Joanna: Huic medebor ego.
- [Imperator]: Docebo, cum velis.
 Recedat aula. Caesaris sumnum nisi
 Spernas amorem, dic, Joanna, et conjugi
 Semper fideli pande (secretum nimis
 Tenebo), qvid erat, conscientiae arbitro
 155 Qvod expiandum dixeras. Pandas volo

¹²⁹ docuit] do..it *DJM*, corr. *m2*.

¹⁴⁷ sed] Sic *DJM*, corr. *m2*.

¹⁴⁸ mederi] moderi *DJM*, corr. *m2*.

¹⁵³ Joanna] Joannae *DJM*, corr. *m2*.

^j *Volupta, ae, f.*, tvar podle 1. deklinace, klas. *voluptas, atis, f.*; podobně v. 390.

^k *Ephebus* rozepsáno podle kontextu, mohlo by jít ovšem také o jméno nějakého dvořana.

^l Obvykle tvar 2. sg. imperat. *adsiste*, zde zřejmě vliv perf. kmene (*adsisto, ere, stiti*).

| | | |
|------|------------------------|---|
| | | Confessionis vile secretum, grave Ut pondus animo et vulnus inflictum leves. |
| | Pi[etas]: ^m | Caesar! Absit, non decet, sed qvoqve pudet Narrare naevos. Hanc tuam mutes precor Sententiam. |
| 160 | Imperator: | Joanna, votum id unicum est! Regis furorem exasperas, isthoc nisi Pandas secretum. |
| | Joanna: | Non decet. |
| | Imperator: | Caesar jubet. |
| | Joanna: | Serene conjux, prohibet id totum pudor. |
| 165 | Imperator: | Urgebit autem Caesaris posthac furor. ⁿ |
| | Joanna: | Ignosce, Caesar, est fatua tua haec fames. In melius illam (ah, ultimum precor!) loca, De me secretum nescies, Caesar. Vale. |
| | Imperator: | Huc aula. Phidalberte, Caesar jubet: Primos ubi ortus crastinum dabit jubar, Volo, Sacerdos conjugis praesto mea Sit hic in aula; crastina struet die Mensam Joanni Caesar. |
| 170 | Aulicus: | Ut praecipis, ago. |
| | Imperator: | Et vestra, proceres, Caesari studia date! |
| 175a | Omnes: | Vive, Imperator! |

INDUCTIO IV.

*Qvocirca unus Procerum (Phidalbertum dicimus) jussu Regis ad epulas P. Joannem
advocat.^o*

| | | |
|-------|----------|--|
| [59v] | Aulicus: | Proximum ^p jussus fero Ab Rege votum, tectus est Regis furor. Novit tyrannus ora virtutum notis |
|-------|----------|--|

¹⁵⁸ vulnus] vu..us DJM, corr. m2.

¹⁶⁴ Serene] Senne DJM, corr. m2.

¹⁶⁹ Phidalberte] Phidalberti DJM, corr. m2.

^{175b} *in initio om. - - v - -.*

^m Pietas rozepsáno podle kontextu a především podle zmínky v argumentu (*ab Joanna – Pietatem substitui-*mus).

ⁿ Protiklad podpořený rýmem *prohibet pudor – urgebit furor.*

^o Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *Pauculi intercesserant dies, cum ecce honoratus vir ex aulicis a Rege missus appareret, nuntiat, [...] ut firmior esset [Joannes] receptus ad gratiam, cras ad mensam Regis ne grava-
retur accedere.*

^p Pro doplnění bylo na začátku verše naznačeno metrické znění konce předchozí scény - - v - - (*Vive Impe-
rator*), podobně začínaly i první verše 7., 8., 9., 10. a 13. scény.

Fingere doloris, novit et fandi modum,
 Dum corde scelerum monstra polluto latent.
 180 Saevire sane poterit et risum brevi
 Fletumque lugubri Caesar urgebit joco.
 Praenosco genium; mensa, quam Caesar dabit,
 Meum requiret nosco genium. Istud petet
 Caput Joannis, mira praetendet suo
 185 Rex iste; quid Rex dico? Czechiae latro,
 Ferox tyrannus crimen infestum et gravem
 Tentat minam, posthabet enim animae suaem,
 Amens, salutem! Rebus in dubiis opem
 Ferrem, Joannes! Promptus et mentem lubens
 190 Totam moverem famulus! At jussis inops
 Obstare Regi nequeo. Numen hoc precor
 Scelus repellat; urgeo pedem pede,
 Ut jussa Regis exeqvar.

Joannes: Qvo te pedes,
 Chare Phidalberte?
 Aulicus: Jussus huc viam
 195 Urgeo, Sacerdos sancte. Rex mensae hospitem
 Te hodie.
 Joannes: Erubesco, quid is favor Regis notat?
 Faxo,^q benignum Caesaris amorem aestimo.
 Sed loquere, Phidalberte, nunquid te latet
 Tanti favoris ratio.
 Aulicus: Defacto latet.
 200 Sed age, morosus Caesari ne sim, gradum
 Adurge.
 Joannes: Ut inquis, Caesaris nutum seqvor.

180 Saevire] Servire DJM; sane] Sani DJM, corr. m2.

185 Czechiae] Czechia DJM, corr. m2.

199 ratio] DJM rasura del., corr. m2.

^q *Faxo*, arch. tvar 1. sg. ind. fut. II., klas. *fecero*.

INDUCTIO V.

Post qvas,^r remotis arbitris, ad violandum confessionis sigillum vane solicitatur.^s

- [60r] Coc[us 1]:^t Pueri, cito huc afferte butyrum, piper!
La[borantes]:^u Domine, Patrone, liqvidum, tusum piper
Qvaeris?
[Cucus 1]: Retusi^v currite juvenes, ita
205 [Laborantes]: Liqvidum feres butyrum et alter fer cito
Tusum piper! Pro artocrea indigeo sale.
Cucus [1]: Totum hoc feremus, amplius nihil deest?
[Laborantes]: Nihil. Moneo tamen, ocyus sitis hic loci.
Cucus [1]: Erimus.
210 Stupesco, nullus hactenus cocum
Molestat, aula nostra vere est saepius
Mirabilis! Pulchrum est qvidem tanto Duci
Servire, nisi tyrannidi propior foret^w
Caesar.
[Cucus] 2: Putasne? Nunqvid est proprie genus
Crudelitatis, proxime miser cucus,
215 Assare doctus, qvam tetras paenas dedit
Jubente Rege, dum veru hoc fixus fuit.^x
Ephebus: Omnes habes cultros? Novorum adhuc deest
Mihi par.
[Cucus] 3: Joannes advenit, agas rogo cito.
[Ephebus]: Videbo, purges obsecro reliqvos.
[Cucus] 3: Curae
220 Hoc tu meae committe, faciam.

²⁰⁴ Qvaeris] Qveris *DJM*, corr. *m2*.

²¹² nisi] ni... *DJM*, corr. *m2*.

²¹⁶ veru] ve..u *DJM*, corr. *m2*.

²¹⁹ purges] purges *DJM*.

^r Tj. *epulas*, navazuje na úvod ke 4. scéně.

^s Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *Venit Joannes summaque honoris significatione mensae Regis adhibetur. Remotis mensis et arbitris, Caesar iterum, cur ad se accersiri juss erit, aperit: quiescere se non posse, aperiat tandem, quae Regina in sacra exomologesi in aurem dixerit ex ordine omnia; miscet blanditias, pollinet silentium, modo dignitates et praemia offert, modo carnificinas omnes minatur.*

^t Cucus rozepsáno podle kontextu, výstup se odehrává v kuchyni.

^u Laborantes rozepsáno podle kontextu, jde zřejmě o kuchtíky nebo pomocníky v kuchyni, které kuchař oslovouje *Pueri* (v. 202).

^v Slovní hříčka *tusum – retusi*.

^w *Foret*, konj. imperf., obvykle *esset*.

^x Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *Forte cucus regius caponem male assum ad mensam Regis miserat. Ea res improvisa in tantam egit rabiem Wenceslaum, ut naturae humanae et omnis humanitatis oblitus, cocum protinus alligatum verubus, flammis admoveri juss erit.*

| | | |
|-------|------------|---|
| | Aulicus: | Rex cibos Ferri jubet. |
| | Cocus [1]: | Ad obseqvia sunt, Rex si imperat. |
| | Imperator: | Hoc cape, Joannes; Regis est tacitus favor, Ne sperne amoris vile pignus. |
| | Joannes: | Rex, tuum Adoro sceptrum; vile, qvod video, est nihil, Sed est ubiqve Regis Augusti favor. |
| 225 | Imperator: | Fidele pectus, vive. Contestor pia In te, Joannes, studia, si spondes fidem. |
| | Joannes: | Caesar, Tonanti hanc et tibi juro fidem. |
| [60v] | Imperator: | Fidelitas haec Caesari multum placet, Sed cruciat aliquid Caesaris animum. |
| 230 | Joannes: | Qvid est, Auguste Caesar, qvod subito mentis piam Turbat quietem? |
| | Imperator: | Si fidem spondes. |
| | Joannes: | Deo, Tibique, Caesar, jam prius fidem dedi. Quid mente jamjam fluctuas? |
| | Imperator: | Soli loqvar. Synceritatem Caesari velim exhibe; |
| 235 | | Abstergere omnem mentis afflictae potes Verbo notam, Joannes. Ecquid arbitro Joanna, vitae consulens sua, tibi Tulit expiandum? ^y |
| | Joannes: | Sacrilegum Mystam putas? |
| 240 | | O Caesar! Absit hic procul tuus jocus. Scio jocare, sacrilegium non petis. ^z |
| | Imperator: | Vult Imperator. |
| | Joannes: | Prohibet hoc autem Deus. |
| | Imperator: | Urget cupidus. Caesari nunquid negas? |
| 245 | Joannes: | Est vana. Qvis mentem occupat tanto Stygis Malo cacurgus? ^{aa} Non licet pandere. |

^y 227 spondes] spondes DJM, spondet falso corr. m2.

^y Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: [...] si induceret in animum vel pauca, quae Joanni Regina in sacro poenitentiae tribunali aliquando aperuisset, uni sibi concredere; id vero sibi pro omni, in tot regiis caesareisque curis, solatio fore.

^z Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: Exhorruit ad sceleratas preces vir Beatus et gravi liberaque oratione, quantum crimen posceretur, ostenderet, damnaret proinde curiositatem suam Rex, et quod fieri non posset, desiderare omitteret.

^{aa} Z řec. kakúrgos – strůjce zla, zde míněn zřejmě „zlý duch“ nebo „dábel“. V jezuitských hrách interpretován jako *Malus genius*, cf. Avancini, N.: *Tragoediae. Coloniae Agrippinae* 1679.

| | | |
|-------|------------|--|
| | Imperator: | Favor |
| | | Est magnus et erit major, unum si mihi Confessionis Mysta detegis modo Soli sigillum. Subjicio largas manus Aurumque, nisi temnas, Joannes, offero. ^{bb} |
| 250 | Joannes: | O Imperator! Non licet, vetat Deus! Reflecte mentem, Caesar, id soli Deo Patet. ^{cc} |
| | Imperator: | Abnegas! |
| | Joannes: | Rex, non licet. |
| | Imperator: | Nobis placet. ^{dd} |
| | | Graviora, nisi pandas, Joannes, te manent. |
| | Joannes: | O Caesar! Haec causa Dei lubens feram. |
| 255 | Imperator: | Ergone temnis Caesaris amorem? Eligis Supplicia? Vitae, moneo, consulas tuae Potius, Joannes. |
| [61r] | Joannes: | Confero totam Deo, Nec metuo reddere, qvam mihi prius dedit. |
| | Imperator: | Vitam, o Joannes, non peto Caesar tuam, Qvin prorogatam potius et longam volo Precorqe in annos; vive Nestoream senex. Qvid est? Secretum vile pandas Caesari Confessionis, nemo proditum sciet, Nisi Caesar et tu. |
| 260 | Joannes: | Sufficit, Deus videt Et conscientia prohibet. O absit scelus! Propter favorem Caesaris temnam Deum? Non fiet hoc, Caesar! Stygis abyssum eligo, Tutus profecto conscientia mea, Qvam regna, Caesar, scelere pollutus velim. |
| 265 | | Monstrum! Stupori cedet irarum tumor, Nigra involutum lateris angusti specu Condam premamque te, nisi extemplo mihi Pandas secretum Caesari. |
| 270 | Imperator: | |

256 tuae] meae *DJM*, corr. *m2*.

263 proditum] prodi dum *DJM*, corr. *m2*; sciet] scies *DJM*, corr. *m2*.

270 irarum] ...arum *DJM*, corr. *m2*.

^{bb} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: [...] opes deinde, honores, et quidquid felicitatis umquam Joannes exspectare posset, verbo regio pollicetur..

^{cc} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: [...] denique [Joannes] Regem monere, abstineret captandis, quae uni Deo cognoscenda servantur; sine sacrilegio talia tentari non posse.

^{dd} Vnitřní gramatický rým.

- Joannes: Duxi, haud licet,
Caesar, cruentas non metuo qvidqvam manus.
275 Imperator: Suspendo causam. Ruet Avernalnis draco.^{ee}

INDUCTIO VI.

Qvod sacrilegium sancto zelo accensa Pietas amoliri satagit.

- [Pietas]: Qvod tentat Imperator impius nefas!
Audet sacrilegus, posthabens dulcem suae
Animae salutem? Hoc audet invisum scelus?
Video, Imperatoris Medusaeo riget
280 Horrore vultus. Caesar, irarum est satis!^{ff}
Desiste sanqvisuga Christiadum impius
Premere cruentem. Sydera in testes vocat
[61v] Profusus usqve sanqvis. Hausisti satis
Tot innocentum sanqvinem et lacrymas patrum
285 Matrumqve. Sacri, o Caesar, in te reperio
Nihil, scelest! Nomen horrendum geris,
Sacrilege latro! Proh, gubernator Stygis!
O Numen Hecates!^{gg} Premere malefausto pede
Audes Joannem? Procul abominabile,
290 Procul age nomen. Inferni vacas,
Terra Procrustes, totus obseqviis. Dolens
Corpus animamqve faedere aeternum vove
Deo scelusqve sacrilegum abs te Rex procul
Abjice. Deus non abnegat suam tibi
295 Hucusqve gratiam, modo velis! Pauperes
Mecum precantur pro scelere tuo Deum
Vere benignum; nec rogare desinam,
298a Caesar, nisi sapias.^{hh}

279 Medusaeo] Medusaeo *DJM*, Medulaoe *falso corr. m2*; riget] riges *DJM, corr. m2*.

289 Audes] a.es *DJM, corr. m2*.

291 Procrustes] Procutes *DJM*.

295 velis] velit *DJM, corr. m2*.

298a sapias] saepius *DJM, corr. m2*.

^{ee} Celý tento dialog je paralelou k rozhovoru Václava a Johany (viz v. 152–168).

^{ff} Cf. *Theoctistus*, v. 1166–1167: *An Medusaeo riget / Horrore vultus? Scire, si liceat, libet*; v. 306: *Frater, irarum est satis*.

^{gg} *Hecates*, řecký tvar gen. sg.

^{hh} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 670: *Itaque Regina [...] Deum assidue cogitare, precari, ut meliorem conjungi mentem daret, diu noctuque orare*.

INDUCTIO VII.

*Rex tamen, potentiori succensus ira, reluctantem Dei servum torquendum ad catastas
damnat.ⁱⁱ*

- 298b [Imperator]: In oculos jam fluit
Gutta basilisci lapsa luminibus. Diem
300 Praeripiēt ergo noctis aeternae morā^{jj}
Tibi, Joannes, nisi modo secretum mihi
Ex asse pandas.
- Joannes: Mille millies feram
Neces, secretum Caesari qvam pandam semel.^{kk}
O Imperator! Tune, qvod vetat Deus,
305 Rescire curas? Non licet! Nunqvam licet!
Imperator: Palmare monstrum!^{ll} Caesar impero, volo,
[62r] Secreta pande, nisi truces jamjam eligas
Regis minas.
- Joannes: Rex, non licet, dixi. Qvid, heu,
Audes, tyranne? Tantum, heu, aspiras nefas!
310 Eludo vanas, sacrilege Caesar, minas,
Plus ferre cupiens, qvam Imperator impius
Inferre possis. Qvid agis, o Caesar, Deum
Non ergo metuis? Non times sacrilegium,
Qvod te tyrannum devovet diris? Heu!
315 Damnum aeviternum^{mm} Tartari horrifici regis.
Confessionis non licet deniqve tibi
Pandere sigillum. Qvam lubens memet tuis
Subjicio, Caesar, impiis manibus! Putas,
Ex me catastis unicum verbum exprimes?
320 Minime. Benignum Numen afflito, scias,
Succurret. Ure, perime, Gratia Dei
Nusqvam Sacerdos sacrilegus propterea ero.

^{298b} *in initio om. - - v v v v -.*

²⁹⁹ basilisci] basilici DJM; Diem] Rem DJM, corr. m2.

³⁰⁰ Praeripiēt] Praecipiet DJM.

³⁰⁴ Tune] Tunc DJM; vetat] v.tat DJM, corr. m2.

³²² Sacerdos] Sacendos DJM.

ⁱⁱ Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *Rex iracundia ardens, sine mora carnificem (quem semper habebat ad manum et patrinum per delicias appellabat) cum sociis adesse jubet, a quibus in carcerem tractus crudelissime in catastas jussu Regis extenditur et facibus admotis torquetur.*

^{jj} Cf. Theoctistus, v. 924–926: *In oculos pluat / Gutta basilisci lapsa luminibus. Diem / Eripiat hosti noctis aeternae mora.*

^{kk} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *At Beatus Martyr contra obfirmarat animum et millies discerpi ac mori, quam verbum ex confessione sacra efferre decreverat.*

^{ll} Cf. Theoctistus, v. 237–238: *I, furor Averni, semen inferni canis, / Ferale monstrum.*

^{mm} *Aeviternum*, původně nestážený tvar adj., odtud *aeternus*, *a, um*.

- Vitam auferas, animae meae minime tamen,ⁿⁿ
 Caesar, nocebis. Spectra sepono tua,
 325 Cruente Princeps, disseca, lania, feri!
 Imperator: O contumacem! Lictor, ad flammas trahe,
 Trahe ad catastas!
 Aulicus: Siste, Caesar, vindicem
 Lentus manum. Theotistus imploro fidem.
 Miserere! Ego ipse pedibus advolvor tuis.
 330 Imperator: O perduelle! O turpe Caesari caput!
 Peribis, Orcum testor, Caesari optatum nisi
 Pandas secretum.
 Joannes: Mille millies neces,
 Dixi, cruentas sufferam, unum qvam tibi
 Pandam tyranno verbulum.
 Imperator: O dirum caput!^{oo}
 [62v] Neqvam Sacerdos! Lictor, ignibus crema
 Pectus furentis, sentiat Regis manum!
 Joannes: Jesus! Maria!
 Imperator: Mysta contumax, negas
 Adhuc secretum Caesari?
 Joannes: Ah! Non licet
 Pandere!
 Imperator: Joannem vero sqvallidis libet
 340 Premere^{pp} catastis. Imperator imperat,^{qq}
 Secreta pandas.
 Joannes: Non licet, prohibet Deus.
 Imperator: O Imperator! Jura calcantur tua?
 Adeste tygres, aliquid hinc dirae fluat
 Feritatis in me! Stupidus in Regem furit,
 345 Cernite, Sacerdos! Siste crudelem manum
 Jamjam, satelles, Mysta fors tortus modo
 Sapiet.

325 disseca] disserra *DJM*, corr. *m2*.

327 catastas] castas *DJM*.

328 imploro] implore *DJM*.

333 sufferam] sufferam *DJM*.

345 crudelem] c..delem *DJM*, corr. *m2*.

347a Sapiet] originaliter in fine 346, metri causa transpositum in 347.

ⁿⁿ *Animae meae minime tamen*, paronomasie.

^{oo} Cf. *Theoctistus*, v. 942: *O dirum caput!*

^{pp} *Non licet pandere – vero libet premere*, protiklad, vnitřní rým.

^{qq} *Imperator imperat*, paronomasie.

INDUCTIO VIII.

Nil proficientibus torturae ministris et tyranno abscedente, D. Christi pugil Caelesti solamine relevatur.^{rr}

- | | | |
|-------|--------------------------|--|
| 347b | Ang[elus]: ^{ss} | Joannes, victa tortorum est manus, Neptae ^{tt} catastae, domitus irati furor Wenceslai. |
| | Joannes: | Qvo me per aetherea rapis Spatia levatum? Denegas luctum nece Claudere? Cruentam Caesaris liceat domum Repetere, Custos alme. |
| 350 | An[gelus]: | Sat pugnae datum. Palmam, Joannes, victor aeternam feres, Qvod hoc secretum Caesari sancte neges. |
| 355 | | Nec te rubenti rore ^{uu} frustratum puta, Non est negatum. Gravia posthac sufferes Tormenta, post qvae caelica afflictum manet Laurus per astra; dein triumphali vehi Merebere ^{vv} curru. Vita patiendo brevis Superest fideli servulo et palmas Polus |
| [63r] | | Largas rependet. |
| 361a | | |

INDUCTIO IX.

Tum spiritu propheticō plenus statum Bohemiae deinceps subsecutum deflet.^{ww}

- | | | |
|------|------------|--|
| 361b | [Joannes]: | O patria dulcis! Nimis Hucusqve Caesar saeviit. Regni salus, Regnator orbis, Christe! Czechiae malum |
|------|------------|--|

Inductio VIII. pugil] Pugis DJM, corr. m2; relevatur] rele..tur DJM, corr. m2.

347b *in initio om. v v -.*

361a rependet] rependes DJM, corr. m2.

361b *in initio om. - - v - v.*

^{rr} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *Denique cum proficerent nihil, Caesare ipso abeunte, fessi et victi desistunt ac de catastae depositum deserunt. Veteres codices caelesti consolatione recreatum Joannem tradunt, at qualis ea consolatio fuerit, an interna quaedam ad animum divinitus illapsa, an etiam externa ex Sanctorum Angelorum colloquio, aliisque caelesti aspectu (ut saepe aliis viris Sanctis evenisse in eorum gestis legimus) non explicuerunt.*

^{ss} *Angelus* rozepsáno podle úvodu k této scéně, *Caelesti solamine* zřejmě mírněn anděl.

^{tt} Doložený je pouze tvar *ineptus*, a, um – nevhodný, nejapný, nepotřebný; zde zřejmě zkráceno kvůli verši.
^{uu} *Rubenti rore*, aliterace.

^{vv} *Merebere*, arch. tvar 2. sg. ind. fut. dep., klas. *mereberis*.

^{ww} Tj. *Joannes*, navazuje na úvod k předchozí scéně. Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 671: *tum caelestibus oraculis patefacta semel via, spiritu propheticō plenus, lacrymis ubertim fluentibus, futurum Bohemiae statum et venturas brevi calamitates coepit describere.*

365 Isthoc repelle! Pondus imparibus enim
 Incumbet humeris. Deficio, sub hoc gemens
 Onere. Recessus mentis humanae tibi
 Patent; in aliud, unice precor, Ducis
 Mentem nefandam flecte. Graviter me premit
 Abdita medullis cura, ne caras Tuo
 370 Cruore mentes praedo Tartareus ferat
 Wenceslaus, per fas nefasqve Czechiae
 Atrox tyrannus, opprimens statum jugo.
 O Czechia! Graves hostium feres neces
 Cruenta. Pacis, dulcius qva nil habes,
 375 Damnum tulisti. Caesarum et regum diu
 In subditis nefanda consvevit Deus
 Plectere piacula. Prospero felix Polo
 Hucusqve laetos senseras regni dies,
 At perduellis lacrymis dehinc lues
 380 Delicta Regis. Pressa, proh, nimium ingemes!
 Tu, praeliantes gentis Aeoliae, Deus,
 Qvi voce mulces, qviqve nimborum horridas
 Evertis acies, debitam Caelo ac solo
 Faciem inducens, frange minitantem pio
 Populo procellam.

385a
[63v]

INDUCTIO X.

*Ad se rursum B. Joannem Rex sacrilegus accersit; ei moriendum asserens, ni confessio-
 nem Joannae ex ordine promat.^{xx}*

385b [Imperator]: Adhuc ne pertinax caput^{yy}
 Suum Sacerdos Caesari opponit? Nisi
 Jamjam secretum aperuerit, per Caesaris
 Nunc sacra sceptra juro, Moldavae hauriet

366 mentis] mensis *DJM*, corr. *m2*; humanae] humane *DJM*, corr. *m2*.

381 praeliantes] praeciantes *DJM*, corr. *m2*.

384 minitantem] minitantum *DJM*.

385b in initio om. v v - v - -, add. *m2*.

^{xx} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 672: *Ergo non hominem, sed malum daemonem spirans, mittit continuo, qui Joannem accersant; neque multis, ut in praecipi ira, verbis est usus: Audi, inquit, Sacerdos, moriendum tibi est, nisi e vestigio jam hic conjugis meae confessionem, et quidquid umquam illa tibi confitens dixit, ex ordine exponas! Actum est, peristi. Juro Deum, aquam potabis! Mersionem in flumine ea voce Caesar volebat intelligi.*

^{yy} První verš nové scény chybně napojen na její úvod, což naznačuje i metrické schéma vepsané jinou rukou pod slovo *promat*.

- Aqvas rebellis Mysta. Minuat Caesaris
 390 In hoc voluptam? Non fero! Obtulit opes
 Qvidem Imperator, ut secretum, vel leve,
 Panderet, et en? Negavit hoc totum suo,
 O perduellis, Caesari! Jam non opes,
 Verum catastas, qvin potius ipsam feret
 395 Mortem, nisi confessionis panderit
 Tandem sigillum. I, perge, chare Caesari
 Theotiste, Rex qvod jubeat, impio refer
 Mystae Joanni, adesse correctum sua
 Ocyus in aula.
- Theotistus: Caesar, ut jubes, ago.
- 400 Aulicus: Pare, Imperator magne, verbo: est insolens
 In te Joannis crimen, audax est nimis
 Isthic Sacerdos, qvod tuam curet nihil
 Clementiam. O Rex! Vindica tantum nefas,
 Non leviter est hic laesa Majestas tua.
 405 O Imperator! Non erit magnum, neci
 Subitae Joannem consecres.
- [Imperator]: Idem tenes,
 Qvod mente pridem volveram. Vereor tamen.
- Aulicus: Qvem, Caesar, oro metuis? Es magnus, potens.
- Imperator: Joanna prohibet.
- Aulicus: De reo casu nihil
- 410 Regina novit.
- Imperator: Nisi secretum aperuerit,
 Tentabo Mystam; consilia seqvar tua.
- [64r] Joannes: Adsum, Imperator magne, te sacro colens
 Poplite.
- Imperator: Joannes, vive, num tandem sapis?
- Joannes: Saperes Deum utinam, Caesar! Ut video, scelus
 415 Repetis.
- Imperator: Qvid inqvis? Scelera ego repetam?
 Scelus,
- Joannes: Dixi, reposcis. Nunqvid urges impie,
 Caesar, sigillum ut arbiter pandam tibi
 Confessionis?

³⁹⁷ Theotiste] Theotisse *DJM*, corr. *m2*.

⁴⁰⁰ Pare] Parae *DJM*.

- 420 Imperator: Sic volo, jubeo! Nisi
Secreta pandas, Moldavae flumen, scias,
Potabis hodie.^{zz}
- Joannes: Caesar, hoc audes nefas?
[Imperator]: Qvis prohibet isthoc Caesari?
Joannes: Prohibet Deus
Monetque Tartarus, avidas diu aggerens
Flammas.
- 425 Imperator: Sacerdos, Caesari frustra minas
Incutis Averni. Rege qvis major fuit
Eritque posthac? Graviter hoc spondeo feres
Dictum doloris. Fata te solum manent.
I, mergere nigris, titio Tartaree, rogis.

INDUCTIO XI.

Fatorum acerbitati commiserans, illacrimatur Pietas.

- 430 [Pietas]: O Caesaris praegrande facinus! Exulat,
Ut video, Pietas. Perimit exosus Dei
Servum Joannem Caesar. O qvale hoc nefas!
Qvod astra prohibent, Imperator sacrilegus
Violare tentat? Scelere cumulatur scelus.
I, pete Charontem, puppis haec nauum dabit;
Jam te sub Orcum fata, jam Furiae vocant!
- 435 Putas, Joannem morte crudeli opprimes,
Tyranne? Minime! Gloriam, qvam tu modo
Adimis inique, centuplam reddet Polus
Posthac Joanni. Tanta nimirum abripit
Dementia animum Caesaris! Da tibi moram;
Spectator aderis cladis aeternum tuae,
- [64v] Faedi minister operis, aeterno Stygis
Lues camino. Sola Furiarum cohors
Te tractat unum perqve Czechorum sinus,
Viscera, medullas, corda flammantem rotat.
- 445 Est magnus iste, fateor, est tristis dolor.
Pietas qvod exulet, valeat autem scelus.^{aaa}

⁴²² aggerens] oggerens *DJM*.

Inductio XI. acerbitati] aurbitati *DJM*.

⁴²⁸ Exulat] ..ulat *DJM*, corr. *m2*.

⁴³³ Charontem] Charoentem *DJM*.

⁴³⁷ Adimis] adimus *DJM*; reddet] reddes *DJM*, corr. *m2*; Polus] populus *DJM*, corr. *m2*.

^{zz} Viz pozn. k úvodu této scény.

^{aaa} Podobné verše tuto scénu také zahajují (viz v. 428–429).

INDUCTIO XII.

D. Joannes sacramentum Regi prodere indignum ratus, temptis ultimate minis terroribusque regiis, tandem toto animo sacrilegium aversatur.^{bbb}

- [Joannes]: Denique secretum pandere mihi non licet.
 Urge, fatiga, punge; spicula rideo,
 Caesar, furoris impii. Moneo tamen,
 450 Crudelis Imperator, indomitam hanc doma^{ccc}
 Curam,^{ddd} in Sacerdotem neqve aliquva levis datur
 Unquam potestas Regibus. Et en, tu manus
 Inferre violentas mihi, Caesar, paras!
 Impune Judex justus hoc minime feret
 455 Scelus. Pudeat o Caesarem, qvi urget grave hoc
 Nefas, sacrilegium Sacerdoti imputans!
 Hoc tibi Megerae pignus, Eumenidum favor
 Atrox Erebi! Nulla terrarum satis
 Supplicia. Tantum Stygius, haud satis, nefas
 460 Pensabit ignis. Quidquid in cunctos, atrox
 Caesar, parasti,^{eee} aeterna paenarum feres.
 O vane procerum, vane magnatum favor,
 Humeris amicum ferre subducti negat
 [65r] Jamjam cadentem dexter in laetis comes.
 Fortuna ridet? Seqvitur. Irridet? Fugit.
 465 Imperator: Confessionis ergo non pandes mihi?
 Joannes: Secreta pandere non libet, minime licet.^{fff}
 Desiste, frustra me probas, ex me nihil,
 Quidquid adamantem frangere attentas, nihil
 470a Unquam obtinebis.

450 Crudelis] ..udelis *DJM*, corr. *m2*; hanc] haec *DJM*, corr. *m2*.

457 Eumenidum] ..menidum *DJM*, corr. *m2*.

464 laetis] add. *m2*.

^{bbb} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 672: *B. Joannes, indignum ratus ea de re toties obtundi, non verbis, sed toto capite et severo vultu sacrilegium aversatus est.*

^{ccc} *Indomitam doma*, paronomasiae.

^{ddd} Cf. *Theoctistus*, v. 197–198: *Frater, effraenam doma / Placatus iram.*

^{eee} *Parasti*, stažený tvar za *paravisti*; podobně viz *beāsti* (v. 544).

^{fff} Podobné verše tuto scénu také zahajují (viz v. 447).

INDUCTIO XIII.

Ob quod^{egg} sui ultra Rex impotens, D. Joannem signo satelitibus dato morte plectendum tradit.^{hhh}

- | | | |
|-------|--------------|--|
| | [Imperator]: | Mysta, moriendum tibi est, ⁱⁱⁱ Audi furorem Caesaris, cuius pios Tennis favores. Repeto, flumen Moldavae Potabis hodie, sqvallido tortus prius Carcere. Sacerdos mihi repugnat? O caput Hoc perduelle! Caesaris qvale hoc nefas! Adversa ridet, sed neqve extremas neces Horret! Quid hominis mundus affert? Qvis pater Materqve genuit? Lictor, hoc ferae genus Pro munere tuo corripe. Habeat, qvod diu Voluit! |
| 475 | | |
| 480 | Joannes: | Amore excipio grande hoc tuum, Caesar, nefas. O! Fateor, emerui probra, Mereor catastas, vulnera, furores, neces; Modo Imperator vivat et vivat Deo! Lubens feram omnia. |
| 485 | Imperator: | An mori potius tibi, Qvam vivere placet? |
| | Joannes: | Vivere Deo paeplacet. |
| [65v] | Imperator: | Ite, ite, pernix turba, sat morae est datum, Repetite ^{jjj} notum carceris limen. Dabo Haec paria vestris scelera. ^{kkk} Magnum in Caesarem Fuit scelus Joannis, ipsos vos voco |
| 490 | | Testes. Tenetis? Hostis est Regis, igitur Vescetur, opprimatur et meritas luat Paenas rebellis. Nulla tranqvillae trahat Momenta vitae, donec inimicam expuat Scelestus animam. |
| 494a | | |

470b *in initio om. - - v - -.*

472 favores] fares *DJM*, corr. *m2*; Repeto] *om. seq.* Joa., *falso add. m2*.

^{ggg} Navazuje na úvod k předchozí scéně (*Joannes sacrilegium aversatur*).

^{hh} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 672: *Vix signum dederat Imperator, jam Sanctissimum virum validissimi satellites circumsistunt.*

iii Viz pozn. k úvodu 10. scény.

ⁱⁱⁱ *Ite, ite – repetite*, vnitřní gramatický rým.

kkk Cf. *Theocistus*, v. 887-890: *Ite, ite, pernix turma. Sat choreis datum. / Repetite notum regiae limen domus. / Unum rogabo, paria si vestris creem / Scelera, tyranno digna si Stygio geram.*

INDUCTIO XIV.

Interim Pietate D. Nemesim ad vindictam provocante.^{lll}

- 494b [Pietas]: O Regis impietas! Scelus!
 495 Dat innocentem pallidae Mystam neci.
 Cruente Caesar! In Sacerdotem furis,
 Sed nunqvid absqve sceleris aeterno probro?
 Crudelitatem Moldava loqvetur tuam,
 Qvam nunc in insontem exeris. Regni statum,
 500 Qvem comite virtute Deus et sacra jubet
 Bilance Themidis publicum in bonum regi,
 Tu ausis, Procrustes patriae, in Mysta sacro
 Et innocentē perdere et parere nefas,
 Qvod Czechia usqve viderat nunqquam? Heu pudor!
 505 Et orbe toto facinus abominandum! Heu
 Crudele factum! Abnormis hic partus Stygis
 Num gigni in aula potuit? Alias, qvae Deo
 Addicta, vixit. Monuit Aether lucidis
 Nuper Joannem vestiens astris, simul
 510 Testatus ejus innocentiam. Sed en!
 [66r] Crudelior Rex factus inde, vita eum
 Orbare statuens, Moldavae vinctum pede
 Manuqve saevis injicit hodie fluctibus.
 Tyranne, regni latro! Non ergo times
 515 Aeqvam Supremi Judicis tandem manum?
 O juste Judex,^{mmmm} vindica immane hoc scelus,
 Ut Imperator impiusⁿⁿⁿ sapiat semel!
 Supprime superbūm, donec humiliet caput!

502 Procrustes] Procutes *DJM*.

^{lll} Pouze polovětně formulovaný úvod v podobě ablativu absolutního – navazuje na úvod k předchozí scéně.

^{mmmm} *Juste Judex*, aliterace.

ⁿⁿⁿ *Imperator impius*, aliterace.

INDUCTIO XV.

Demum nocte, manibus pedibusqve vinctis, ex ponte in Moldavam dejicitur.^{ooo}

- 520 [Aulicus]:^{ppp} O casum atrocer! Noster occubuit Pater!^{qqq}
 Occubuit heu Joannes! Horridum scelus!
 Est mortis author Imperator, heu probrum!
 Crudele Regis impii caput!
- Civ[is]: Occidit
 Caesar? Ubi latro est sacrilegus?
- 525 A[ulicus]: Non Rex perit.
 Qvin periit ipse, sacrilegio expuens
 Animam Imperator sanqvine Joannis ream.
 Immane facinus!
- 530 [Civis]: Qvo jacet corpus loco?^{rrr}
 [Aulicus]: Hucusqve saevis Moldavae immersum jacet
 Undis. O Imperator! Hoc tuum Deus
 Ultor nefandum plectet aeternum scelus.
 Testantur astra grandiaqve pandunt Dei
 Judicia. Vastum Caesaris nostri patet
 Ubiqve crimen. Innocens, proh, impium
 Factum, Joannes mersus! O sacrilegium,
 Enorme crimen! Czechiae infelix status!
- 535 535 Rex innocentem barbarus recens sitit
 Populi cruorem. Religio perit, ah, perit
 [66v] Furente Rege tota Czechorum salus.
 O Imperator barbarus! Qvod nemini
 Unqvam licuit, hoc ursit horrendum nefas.
- 540 Periit Joannes, vivat ut semper Polo!
 Vivit tyrannus Caesar, ast certas brevi
 Paenas daturus perpetim inferni rogo.^{sss}

Inductio XV. *Demum nocte, manibus pedibusqve vinctis, ex ponte in Moldavam dejicitur.] add. m2.*

523 *Rex perit]* experit *DJM, corr. m2.*

534 *Czechiae]* *Czechia DJM, corr. m2.*

535 *innocentem]* *innocentum DJM.*

539 *nefas]* *add. m2.*

^{ooo} Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 672: *Nocte igitur ad pontem, qui Pragensi flumini Moldavae impositus, urbes duas Majorem et Minorem conjungit, deducitur; tum manibus et pedibus vinctis (quod diserte expressum legitur) in subjectum flumen ex ponte dejicitur in pervigilio Ascensionis Domini anno MCCCLXXXIII.*

^{ppp} Z kontextu neni zřejmě, o jakou postavu se jedná, pouze zkratka ve v. 523 naznačuje, že jde o dvořana. Ale možla by to být i zkratka pro *Angelus*.

^{qqq} Cf. *Theoctistus*, v. 498–500: *O casum atrocer! Caesar, occubuit tuus, / Occubuit heu Berillus. Horrendum necas. / Quis caedis author?*

^{rrr} Cf. *Theoctistus*, v. 506: *Crudele coelum! Quo iacet corpus loco?*

^{sss} *Periit Joannes, vivat ut semper Polo! – Vivit tyrannus Caesar, ast certas brevi / Paenas daturus perpetim inferni rogo*, protiklad.

545

O monde fallax! Hic tuus tandem est scopus,
Ut qvos beasti in tempore, in amara luant
Aeternitate. Discat hodie mundus in
Joanne sapere, qvi scelere vitam suam
Redimere potuit; at Deo potius mori
Voluit amicus, qvam sacrilegus vivere,
Fidem perosus. Caelitum plaudat Chorus!

547 at] ad *DJM*, corr. *m2*.